

NOTITIAE

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM



274

CITTÀ DEL VATICANO
MAIO 1989

NOTITIAE

Commentarii ad nuntia et studia de re liturgica
editi cura Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum
Mensile - Spediz. Abb. Postale - Gruppo III - 70%

274 Vol. 25 (1989) - Num. 5

Acta Summi Pontificis

- « Vicesimus Quintus Annus »: Ioannis Pauli II Summi Pontificis Litterae Apostolicae quinto iam lustro expleto Conciliari a promulgata de sacra Liturgia Constitutione « Sacrosanctum Concilium » 387
Lettera Apostolica del Sommo Pontefice Giovanni Paolo II nel XXV anniversario della Costituzione Conciliare « Sacrosanctum Concilium » sulla sacra Liturgia 405

Sancta Sedes

- Epistula Cardinalis Augustini Casaroli, Secretarii Status, occasione data praesentationis voluminis « Notitiae » 1988 424

Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum

- Nella Lettera Apostolica « Vicesimus Quintus Annus » il valore permanente della Costituzione « Sacrosanctum Concilium » sulla sacra Liturgia (✠ Virgilio Noè) 425
Sua Ecc.za Mons. Lajos Kada confermato Segretario della Congregazione del Culto Divino e della Disciplina dei Sacramenti 428
Sua Ecc.za Mons. Virgilio Noè nominato coadiutore dell'Arciprete della Patriarcale Basilica di San Pietro 429
Summarium decretorum: Confirmatio deliberationum Conferentiarum Episcoporum circa interpretationes populares: 430; Confirmatio textuum propriorum Religiosorum: 431; Calendaria particularia: 432; Patroni confirmatio: 432; Decreta varia: 432.

Studia

- La lode cristiana (✠ Virgilio Noè) 434

Actuositas Commissionum Liturgicarum

- Relationes circa instaurationis liturgicae progressus (III):
Peruvia: Informe de las actividades de la Comisión Episcopal de Liturgia 450
Aequatoria: L'attività della Commissione Episcopale di Liturgia (Lorenzo Voltolini) 456
Rwanda: L'inculturation de la Liturgie 457

Celebrationes particulares

- De Beatificationibus: Beatus Martinus a S. Nicolao et Beatus Melchior a S. Augustino: 459; Beata Maria a Iesu Bono Pastore: 461; Beata Maria Margarita Caiani: 464; Beata Maria Catharina a S. Augustino: 466; Beata Victoria Ra-soamanarivo: 468; Beatus Cubilio: 470.
De Canonizationibus: Sancta Cloelia Barbieri: 473.

Nuntia et chronica

- Semana Nacional de Liturgia 1989 organizada por la Comisión Episcopal de Liturgia del Perú 477
Encuentro de estudios de la Sociedad Argentina de Liturgia (Héctor Muñoz) 478

Varia

- Rimedio alla decadenza religiosa del nostro tempo (Card. G. B. Montini) 480

SOMMAIRE

Actes du Souverain Pontife

Lettre Apostolique du Souverain Pontife Jean-Paul II pour le vingt-cinquième anniversaire de la Constitution conciliaire « Sacrosanctum Concilium » sur la sainte Liturgie (pp. 387-423)

A la Pentecôte 1989, a été rendue publique une Lettre Apostolique du pape Jean Paul II, datée du 4 décembre 1988 et commençant par ces mots: « Vicesimus Quintus Annus ». Elle a pour but, en effet, de commémorer la promulgation de la Constitution du Concile Vatican II sur la liturgie, le 4 décembre 1963. Elle est adressée à tous les évêques et les prêtres de l'Eglise. Elle n'est pas un simple rappel commémoratif, mais rappelle la valeur permanente de la Constitution pour l'Eglise d'aujourd'hui et invite à un renouveau de la vie liturgique fondé sur les principes de cette Constitution et les livres liturgiques qui en sont issus.

Congrégation pour le Culte Divin et pour la Discipline des Sacrements

Dans la Lettre Apostolique « Vicesimus quintus Annus »: la valeur permanente de la Constitution « Sacrosanctum Concilium » sur la sacrée Liturgie (pp. 425-427)

Son Excellence Mgr Virgilio Noè, ex Secrétaire de la Congrégation pour le Culte Divin et pour la Discipline des Sacraments, présente la Lettre Apostolique « Vicesimus quintus Annus » à l'occasion du 25^e anniversaire de la Constitution liturgique, dans ses antécédents, sa structure et les points les plus significatifs.

Etudes

La louange chrétienne (pp. 434-449)

L'article développe le sens chrétien de la louange soit dans son contenu, soit dans la réalité ecclésiale. La louange qui monte vers Dieu, Créateur et Seigneur, trouve en Christ Jésus la « voix » représentant tout le monde créé et la perfection de la gloire. Le chrétien, en union avec le Christ même, élève sa propre louange pendant le flux du temps: temps cosmique (matin et soir), temps du salut. La louange chrétienne qui provient de l'Eucharistie se revêt du symbolisme de la lumière et des ténèbres (cf. Laudes et Vêpres) et devient un mémorial historico-salvifique.

SUMARIO

Actividad del Sumo Pontífice

Carta Apostólica del Sumo Pontífice Juan Pablo II en el XXV aniversario de la Constitución Conciliar «Sacrosanctum Concilium» sobre la sagrada Liturgia (pp. 387-423)

El domingo de Pentecostés de 1989 ha sido publicada la Carta Apostólica del Papa Juan Pablo II, fechada el 4 de diciembre de 1988, «Vicesimus Quintus Annus», que conmemora la promulgación de la Constitución conciliar sobre la Liturgia que tuvo lugar el 4 de diciembre de 1963. Dirigida a todos los Obispos y presbíteros de la Iglesia, no es una simple conmemoración de un hecho pasado, sino que recuerda el valor permanente de la Constitución en la Iglesia contemporánea, e invita a una renovación de la vida litúrgica según los principios de la misma Constitución y de los libros litúrgicos promulgados después del Concilio.

Congregación para el Culto Divino y la Disciplina de los Sacramentos

El valor permanente de la Constitución «Sacrosanctum Concilium» sobre la sagrada Liturgia según la Carta Apostólica «Vicesimus Quintus Annus» (pp. 425-427)

S. E. Mons. Virgilio Noè, Secretario que fué de la Congregación para el Culto Divino y la Disciplina de los Sacramentos, presenta la Carta Apostólica «Vicesimus Quintus Annus» conmemorativa del XXV aniversario de la Constitución Litúrgica recordando su preparación, su estructura y sus aspectos más destacados.

Estudios

La alabanza cristiana (pp. 434-449)

El artículo presenta el sentido cristiano de la alabanza, en relación con su contenido y en el ámbito de la realidad eclesial. La alabanza que sube hacia Dios, Creador y Señor, encuentra en Jesucristo la «voz» representativa de todo el universo creado y la perfección de la gloria. El cristiano, en unión con el mismo Cristo, eleva su alabanza al pasar del tiempo: tiempo cósmico (mañana y tarde), tiempo de salvación. La alabanza cristiana que mana de la Eucaristía se reviste del simbolismo de la luz y de las tinieblas (cfr. Laudes y Vísperas) y pasa a ser memorial histórico-salvífico.

SUMMARY

Acts of the Holy Father (pp. 387-423)

On Pentecost Sunday 1989, an Apostolic Letter of the Holy Father Pope John Paul II, dated December 4, 1988, was published and which began with the words "Vicesimus Quintus Annus". Its purpose was to commemorate the promulgation of the Conciliar Constitution on the Liturgy of December 4, 1963. This Letter, which is addressed to all Bishops and priests, is not simply commemorative, but reaffirms the permanent value of the Constitution and its relevance for the Church today, it calls for a renewal of liturgical life based upon the principles of the Constitution and on the Books which emerged from it.

The Congregation for Divine Worship and the Discipline of the Sacraments

In the Apostolic Letter "Vicesimus Quintus Annus" the permanent value of the Constitution on the Liturgy "Sacrosanctum Concilium" (pp. 425-427)

His Excellency Mons. Virgilio Noè former Secretary of the Congregation for Divine Worship and the Discipline of the Sacraments, presents the Apostolic Letter "Vicesimus Quintus Annus" for the XXV anniversary of the Constitution on the Liturgy, its antecedents and structure and points of particular significance.

Studies

Christian praise (pp. 434-449)

The article develops the theme of the christian concept of praise, in relation to its content and its ecclesial reality. The praise which is given to God, Creator and Lord, finds in Christ Jesus the "voice" which represents the whole of creation and the perfection of glory. The Christian in union with Christ himself, gives praise according to the changes of time: cosmic time (morning and evening), time of salvation. Christian praise which takes its starting point from the Eucharist and uses the symbolism of light and darkness (cf. Lauds and Vespers) and becomes the actualization of the historic salvific event.

ZUSAMMENFASSUNG

Akten des Heiligen Vaters

Apostolisches Schreiben von Papst Johannes Paul II. zum XXV. Jahrestag der Konzilskonstitution »Sacrosanctum Concilium« über die Heilige Liturgie (S. 387-423)

Am Pfingstfest 1989 ist ein vom 4. Dezember 1988 datiertes Apostolisches Schreiben Papst Johannes Pauls II. veröffentlicht worden. Es beginnt mit den Worten »Vicesimus Quintus Annus«: Fünfundzwanzig Jahre sind seit der Veröffentlichung der Liturgiekonstitution am 4. Dezember 1963 vergangen. Aus diesem Anlaß wendet sich der Heilige Vater in dem Schreiben an alle Bischöfe und Priester, um an den fortdauernden Wert zu erinnern, den jene erste Konzilskonstitution auch für die Kirche von heute hat, und um zu einer Erneuerung des liturgischen Lebens aufzurufen, welche auf den Prinzipien der Konstitution und der an ihr orientierten liturgischen Bücher aufbaut, die seitdem erschienen sind.

Kongregation für den Gottesdienst und die Sakramentenordnung

Das Apostolische Schreiben »Vicesimus Quintus Annus« und der bleibende Wert der Konstitution »Sacrosanctum Concilium« (S. 425-427)

Erzbischof Virgilio Noè, bis vor kurzem Sekretär der Kongregation für den Gottesdienst und die Sakramentenordnung, bietet eine Einführung in das Apostolische Schreiben »Vicesimus Quintus Annus«. Er erläutert die Vorgeschichte, den Aufbau und die bedeutendsten Punkte dieses neuen päpstlichen Dokuments, welches den bleibenden Wert der Liturgiekonstitution bestätigt.

Studien

Der christliche Lobpreis (S. 434-449)

Der Artikel entwickelt den Sinn, der dem Lobpreis im christlichen Beten zukommt, sowohl im Blick auf seine Inhalte, als auch auf das Umfeld der kirchlichen Wirklichkeit. Das Lob, das zu Gott, dem Schöpfer und Herrn, emporsteigt, findet in Jesus Christus die »Stimme«, welche für alles Geschaffene spricht und die Ehre Gottes vollendet. Der Christ nun erhebt, mit Christus geeint, sein Lob zu Gott im Ablauf der Zeiten: der kosmischen (Morgen und Abend) wie der Heilszeit. Der christliche Lobpreis entspringt der Eucharistie selber. Er weiß das irdische Geschehen, wie Licht und Finsternis (vgl. Laudes und Vesper), zu deuten und wird so zu geschichtlich-heilsbringendem Gedächtnis.

« VICESIMUS QUINTUS ANNUS »

Litterae Apostolicae Summi Pontificis Ioannis Pauli II, a verbis « Vicesimus Quintus Annus » incipientes, die 4 decembris 1988 datae in memoriam Constitutionis Conciliaris de Sacra Liturgia, missae sunt ad universos Ecclesiae Episcopos et presbyteros.

*Placet nobis textum latinum et italicum eiusdem Documenti hic referre.**

IOANNIS PAULI II SUMMI PONTIFICIS LITTERAE APOSTOLICAE
QUINTO IAM LUSTRO EXPLETO CONCILIARI A PROMULGATA
DE SACRA LITURGIA CONSTITUTIONE
« SACROSANCTUM CONCILIUM »

*Universis in Episcopatu et Presbyteratu Fratribus,
salutem et Apostolicam Benedictionem.*

1. VICESIMUS QUINTUS ANNUS iam abiit ex quo sacra de liturgia Constitutionem, cui *Sacrosanctum Concilium* titulus, die videlicet quarto mensis Decembris anno MCMLXIII prodidit Summus Pontifex Paulus VI, quam Concilii Vaticani Secundi nempe Patres in Spiritu Sancto congregati paulo comprobaverant ante.¹ Qui porro eventus plures ob causas memorabilis eminit. Primus enim Concilii, quod indixerat Ioannes XXIII, fructus ipse in Ecclesiae accommodationem erat; latissimus ei liturgicus pastoralisque antecesserat motus; ad vitam et Ecclesiae renovationem prae se spem ferebat.

Liturgiae sacrae reintegrationem ac propagationem persequens insigniter omnino principale, quod sibi praestituerat, propositum peregit Concilium: « vitam christianam inter fideles in dies augere; eas institutiones quae mutationibus obnoxiae sunt ad nostrae aetatis necessitates melius accommodare; quidquid ad unionem omnium in Christum credentium conferre potest, fovere; et quidquid ad omnes in sinum Ecclesiae vocandos conducit, roborare ».²

2. Iam inde a pastoralis Nostri ministerii Petri in cathedra principio monere volumus « de perenni momento Concilii Oecumenici Vaticani II » in Nosque recepimus « certum ... officium ... illud ad

* *L'Osservatore Romano*, 14 maggio 1989.

¹ AAS 56 (1964), pp. 97-134.

² Const. *Sacrosanctum Concilium*, 1.

effectum studiose deducendi ». Atque oportere adseveravimus « fecunda semina, quae Patres Synodi oecumenicae, verbo Dei aliti, in terra bona seminaverunt (cf. *Mt* 13, 8-23), id est gravia documenta ac deliberationes pastorales, ad maturitatem perducantur, eo scilicet cursu, qui proprius est motionis et vitae ».³ Crebrius vero deinceps, variis super argumentis singulis, Concilii magisterium de Liturgia explicavimus⁴ pondusque inculcavimus praeterea quod ad Populi Dei vitam Constitutio habet haec, *Sacrosanctum Concilium*; namque in illa: « reperiri iam substantia ipsius doctrinae ecclesiologicae potest quam postmodum conciliaris Synodus erat expositura. Constitutio *Sacrosanctum Concilium*, primum quod fuit temporis ordine conciliare documentum, praecipit »⁵ dogmaticam Constitutionem, cui nomen *Lumen gentium*, de Ecclesia ipsaque vicissim ex huius Constitutionis praeceptis ditescit.

Quarta igitur transacta saeculi parte, per quam et Ecclesia et hominum Societas celeres expertae sunt altasque rerum commutationes, momentum illustrare interest Conciliaris huius Constitutionis atque praesentem eius virtutem novis collatam cum quaestionibus exorientibus necnon perpetuam illius principiorum efficacitatem.

I

RENOVATIO AD TRADITIONIS REGULAM

3. Postulationibus satisfacere ipse studens Concilii Tridentini Patrum, qui de suae aetatis sollicitabantur reformatione Ecclesiae, Sanctus Pius V libris operam dedit liturgicis rite reficiendis, potissimum vero

³ Primus Nuntius ad universum orbem (17 Octobris 1978): *AAS* 70 (1978), pp. 920-921.

⁴ Cf. praecipue Litt. Enc. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 7. 18-22: *AAS* 71 (1979), pp. 268-269; 301-324; Adhort. Apost. *Catechesi tradendae* (16 Octobris 1979): *AAS* 71 (1979), 23, 27-30. 33. 37. 48. 53-55. 66-68, pp. 1296-1297, 1298-1303, 1305-1306, 1308-1309, 1316; Epistula *Dominicae Cena*, de SS. Eucharistiae Mysterio et Cultu (24 Februarii 1980): *AAS* 72 (1980), pp. 113-148; Litt. Enc. *Dives in misericordia* (30 Novembris 1980), 13-15: *AAS* 72 (1980), pp. 1218-1232; Adhort. Apost. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 13. 15. 19-21. 33. 38-39. 55-59. 66-68: *AAS* 74 (1982), pp. 93-96, 97, 101-106, 120-123, 129-131, 147-152, 159-165; Adhort. Apost. post-synodalis *Reconciliatio et Paenitentia* (2 Decembris 1984): *AAS* 77 (1985), pp. 185-275, praesertim nn. 23-33, pp. 233-371.

⁵ Allocutio ad eos qui interfuerunt Conventui Praesidum et Secretariorum Commissionum Nationalium de Liturgia (27 Octobris 1984), 1: *Insegnamenti*, VII/2 (1984), p. 1049.

Breviario ac Missali. Quod idem omnino propositum tempore progrediente Pontifices Romani sunt persecuti, cum novas ad aetates accommodaverunt aut ritus librosque liturgicos determinaverunt, ac deinde cum ineunte hoc nostro saeculo ampliorem iam complexi sunt redintegrationem.

Peculiarem huic reformationi dicatam instituit Sanctus Pius X Commissionem cui compluribus opus fore annis arbitrabatur; verum tamen aedium illarum angularem collocavit lapidem renovandis scilicet tum Diei Dominicae celebritate tum ipso Breviario Romano.⁶ « Iam vero haec omnia », inquit « doctorum ac prudentum iudicio, labores desiderant cum magnos, tum diuturnos; ob eamque causam longa annorum series intercedat necesse est, antequam hoc quasi *aedificium* liturgicum ... rursus, dignitate splendidum et concinnitate, tamquam deterso squalore vetustatis, appareat ».⁷

Ingens deinde liturgicae renovationis opus Pius XII repetivit literis foras datis, quae *Mediator Dei*⁸ inscribuntur, novaque simul excitata Commissione.⁹ De quibusdam pariter maioris momenti rebus consilia apta cepit, cuius nominatim generis fuerunt nova Psalmorum interpretatio, quo eorundem precatio melius intellexeretur,¹⁰ et ieiunii eucharistici temperatio, quo Sacram ad Synaxim commodius accederetur, et linguae vernaculae in Rituali usus ac maxime Vigiliae paschalis restauratio¹¹ necnon ipsius Hebdomadae Maioris.¹²

In *Missalis Romani* prooemio anno MCMLXII editi declaratio Pontificis Ioannis XXIII est praefixa affirmantis: « altiora principia, generalem liturgicam instaurationem respicientia, in proximo Concilio Oecumenico Patribus esse proponenda ».¹³

⁶ Const. Apost. *Divino afflatu* (1 Novembris 1911): AAS 3 (1911), pp. 633-638.

⁷ Litt. Apost. motu proprio datae *Abhinc duos annos* (23 Octobris 1913): AAS 5 (1913), pp. 449-450.

⁸ 20 Novembris 1947: AAS 39 (1947), pp. 521-600.

⁹ SACRA CONGREGATIO RITUUM, Sectio historica, n. 71, *Memoria sulla riforma liturgica* (1946).

¹⁰ PIUS PP. XII, Litt. Apost. motu proprio datae *In cotidianis precibus* (24 Martii 1945): AAS 37 (1945), pp. 65-67.

¹¹ SACRA CONGREGATIO RITUUM, Decretum *Dominicae Resurrectionis* (9 Februarii 1951): AAS 43 (1951), pp. 128-129.

¹² SACRA CONGREGATIO RITUUM, Decretum *Maxima redemptionis* (16 Novembris 1955): AAS 47 (1955), pp. 838-841.

¹³ IOANNES PP. XXIII, Litt. Apost. motu proprio datae *Rubricarum instructum* (25 Iulii 1960): AAS 52 (1960), p. 594.

4. Talis autem totius Liturgiae renovatio cum universali congruebat Ecclesiae spe. Magis enim magisque liturgicus penetraverat adfectus omnes Ecclesiae partes ac regiones una nempe cum voluntate « actuoso modo communicandi mysteria sacra publicamque et sollemnem Ecclesiae precem »¹⁴ et cum aequali simul cupiditate audiendi uberius Dei verbum. Consentiens vero et coniuncta cum biblica restauratione motuque oecumenico, cum missionali studio inquisitioneque ecclesiologica conducere sane debuit Liturgiae renovatio toti omnis Ecclesiae instaurationi. Hoc Nos litteris in Nostris memoravimus *Dominicae Cenae* inscriptis: « Viget enim arctissima et congruens necessitudinis coniunctio *inter liturgiae renovationem ac restaurationem totius vitae Ecclesiae*. Ecclesia non solum agit sed et ipsa se exprimit in liturgia, ex liturgia vivit deque liturgia consentaneas vitae suae vires haurit ».¹⁵

Rituum vero librorumque refectio liturgicorum continuo post Constitutionem *Sacrosanctum Concilium* promulgatam est suscepta ac paucis quidem inde annis perfecta maximam ob operam multorum sui oblitorum hominum in re exercitatorum et omnibus ex orbis partibus pastorum ».¹⁶

Praeunte autem conciliari principio est idem illud opus peractum, nempe fidelitatis erga traditionem simulque mentis legitimo progressui apertae;¹⁷ quapropter dici iure liturgica potest reformatio plane traditionalis « ad normam Sanctorum Patrum ».¹⁸

II

DIRECTORIA CONSTITUTIONIS PRINCIPIA

5. Constitutionis normae moderatrices, toti quae redintegrationi subiacebant, necessariae etiamnum ac praecipuae permanent quibus ad actuosam mysteriorum participationem fideles adducantur qui nempe est « primus, isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum

¹⁴ PIUS PP. X, Litt. Apost. motu proprio datae *Tra le sollecitudini dell'ufficio pastorale* (22 Novembris 1903): *Pii X Pontificis Maximi Acta*, I, p. 77.

¹⁵ Epistula *Dominicae Cenae* (24 Februarii 1980), 13: *AAS* 72 (1980), p. 146.

¹⁶ Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, 25.

¹⁷ Cf. *ibid.*, 23.

¹⁸ Cf. *ibid.*, 50; *Missale Romanum*, Prooemium, 6.

fideles hauriant ».¹⁹ Quandoquidem ergo maximam partem interea liturgici sunt pervulgati libri et in linguas conversi et ad usum deducti, ante oculos talia principia continenter habeantur oportet altiusque investigentur.

a) *Paschalis exsecutio Mysterii*

6. Primum profecto est principium celebrationis Christi paschalis mysterii in Ecclesiae liturgia, quoniam « de latere Christi in cruce dormientis ortum est totius Ecclesiae mirabile sacramentum ».²⁰ Universa proin liturgica vita circum eucharisticum volvitur sacrificium aliaque similiter sacramenta, ubi vivis haurimus e fontibus salutis (cf. Is 12, 3).²¹ Nos igitur satis nobis conscios illius esse decet quod scilicet: « per paschale mysterium ... in baptismo consepulti sumus cum Christo, ut cum eo in novitate vitae ambulemus ».²² Quandocumque ideo Eucharistiae sunt fideles participes, reapse id animo comprehendere debent, quod « quoties huius hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur ».²³ Cuius rei gratia a sacris pastoribus necesse est christifideles instituantur ut perpetuo quodam mentis officio singulis concelebrent dominicis diebus mirabile illud opus quod in Paschatis sui mysterio Christus complevit qui et ipsi vicissim universo id nuntient orbi.²⁴ Omnium propterea in animis, tam pastorum videlicet quam fidelium, paschatis nox et vigilia *unicum* suum *pondus* rursus adeo oportet reperiatur ut ipsa sit celebrationum prima celebratio.

Quod autem Christi mors in Cruce eiusque resurrectio substantiam efficiunt cotidianae Ecclesiae vitae²⁵ atque aeterni ipsius Paschatis pignus,²⁶ princeps ideo Liturgiae est munus sine intermissione producere nos paschali in itinere a Christo recluso, ubi consentit quis mori in vitam ut ingrediat.

¹⁹ Const. *Sacrosanctum Concilium*, 14.

²⁰ Const. *Sacrosanctum Concilium*, 5; *Missale Romanum*, Vigilia paschalis, Oratio post VII lectionem.

²¹ Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, 5-6. 47. 61. 102. 106-107.

²² *Missale Romanum*, Vigilia paschalis, Renovatio promissionum baptismalium.

²³ *Ibid.*, Missa in « Cena Domini », Oratio super oblata.

²⁴ Cf. *ibid.*, Praefatio I de Dominicis « per annum ».

²⁵ Cf. Litt. Enc. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 7: AAS 71 (1979), pp. 268-270.

²⁶ Cf. Epistula *Dominicae Cena*e (24 Februarii 1980), 4: AAS 72 (1980), pp. 119-121.

7. Suae Christus adest Ecclesiae, in actibus potissimum liturgicis, ut paschale impleat mysterium suum.²⁷ «Locus» idcirco praecipuus Liturgia ipse est christifidelium congressionis cum Deo eoque simul, quem ille misit, Iesu Christo (cf. *Io* 17, 3).

Ecclesiae Christus interest convocatae ac suo nomine precanti. Quod ipsum Ecclesiae sive congregationis christianae amplam constituit dignitatem una cum consequentibus inde postulatis benignitatis fraternae — ad indulgentiam usque propulsae (cf. *Mt* 5, 23-24) — necnon in habitu et gestu et cantu decoris.

In persona praeterea adest Christus agitque ordinati, qui celebrat, ministri.²⁸ Non munere dumtaxat aliquo est instructus, verum ex percepta Ordinatione consecratus ad agendum «in persona Christi». Quae cum re concinere habitus interior debet exteriorque etiam liturgicis in vestimentis, in loco quoque quem occupat ac quas profert vocibus.

Suo adstat Christus in verbo quod in congregatione praedicatur et in homilia explanatum exaudiri in fide debet in preceque excipi. Quae omnia profluere oportet ex libri dignitate ac loci, unde Verbum Dei proclamatur, ex legentis habitu, non sine conscientia eum interpretem esse Dei propriis coram fratribus.

Spiritus porro Sancti virtute adsistit et agit Christus in sacramentis ac singulari et sublimiore modo in Missae Sacrificio eucharisticis sub speciebus,²⁹ quotiens etiam in tabernaculo adservantur extra celebrationem ad infirmorum maxime communionem fideliumque adorationem.³⁰ De qua arcana quidem at vera praesentia sacrorum est pastorum saepius in catechetica institutione doctrinali fidei commemorare, de qua vivere fideles debent et in quam subtilius inquirere theologi. In hanc Domini praesentiam fides secum infert externum erga Ecclesiam observantiae signum, locum nempe sacrum ubi suo se in mysterio Deus demonstrat (cf. *Ex* 3, 5), praesertim cum sacramenta celebrantur: semper enim sunt sancte sancta tractanda.

²⁷ Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, 7; PAULUS PP. VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei* (3 Septembris 1965): AAS 57 (1965), pp. 762. 764.

²⁸ Cf. SACRA CONGREGATIO RITUUM, *Instructio Eucharisticum Mysterium* (25 Maii 1967), 9: AAS 59 (1967), p. 547.

²⁹ Cf. PAULUS PP. VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei* (3 Septembris 1965): AAS 57 (1965), p. 763.

³⁰ Cf. *ibid.*, pp. 769-771.

b) *Verbi lectio Divini*

8. Secundum est principium praesentiae Verbi Dei. Praecipit in-super Constitutio *Sacrosanctum Concilium* ut « abundantior, varior et aptior lectio sacrae Scripturae instauretur ».³¹ Cuius novationis ratio eadem declaratur in Constitutione liturgica, « ut clare appareat in Liturgia ritum et verbum intime coniungi »³² itemque in dogmatica Constitutione de divina Revelatione: « Divinas Scripturas sicut et ipsum Corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum, maxime in sacra Liturgia, non desinat ex mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigere ».³³ Vitae vero liturgicae auctus proindeque christianae vitae progressus effici non poterunt nisi in fidelibus ipsis constanter et in sacerdotibus potissimum promovebitur « suavis et vivus sacrae Scripturae affectus ».³⁴ Iam inter christianam communitatem plenius cognoscitur Verbum Dei; sed germana renovatio etiamnunc ac semper novas adfert necessitates: fidelitatem vero Scripturae sensui, qui ante oculos perpetuo est constituendus praesertim cum varias convertitur in linguas; rationem Verbi Dei pronuntiandi, qua percipi id valeat uti tale; idoneorum instrumentorum technicorum usum; interiorum Verbi ministrorum praeparationem, unde suo apud liturgicam congregationem officio bene fungantur;³⁵ diligentem homiliae compositionem per studium ac meditationem; christifidelium impensam operam in Verbi communicanda mensa; gustatum ipsum precandi ex Psalmis necnon ferventem voluntatem Christus agnoscendi, perinde discipuli in Emmaus fecerunt, ad Verbi panisque mensam.³⁶

c) *Ecclesiae patefactio sibimet ipsi*

9. In Liturgia denique voluit perspicere Concilium epiphaniā Ecclesiae: ipsa enim est orans Ecclesia. Cultu peragendo divino id significat Ecclesia quod est: unam videlicet esse se sanctam catholicam et apostolicam.

³¹ Const. *Sacrosanctum Concilium*, 35.

³² *Ibid.*

³³ Const. dogm. *Dei verbum*, 21.

³⁴ Const. *Sacrosanctum Concilium*, 24.

³⁵ Cf. *Epistula Dominicae Cenaе* (24 Februarii 1980), 10: *AAS* 72 (1980), pp. 134-137.

³⁶ Cf. *Liturgia Horarum*, Feria II Hebdomadae IV, Oratio ad Vesperas.

Secundum illam a Trinitate descendentem unitatem³⁷ *unam* sese ostentat maxime cum Dei populus sanctus partem habet « in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeesit Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus ».³⁸ Nihil propterea in Liturgica celebratione hanc turbet Ecclesiae coniunctionem, quin immo neve laxet!

A Christo profectam *sanctitatem* (cf. *Eph* 5, 2627) commonstrat Ecclesia quotiescumque unum in corpus a Spiritu Sancto congregata,³⁹ qui sanctificat nempe ac vivificat,⁴⁰ cum fidelibus per Eucharistiam aliaque sacramenta gratiam participat et omnem Patris benedictionem.⁴¹

Porro in celebratione liturgica suam declarat Ecclesia indolem *catholicam*, quandoquidem in ipsa omnium linguarum homines Spiritus Domini eiusdem fidei professione consociat,⁴² et ab Oriente ad Occidentem Deo Patri Christi oblationem exhibet seque cum eo simul ipsa offert.⁴³

Apostolicam demum in Liturgia esse se comprobat Ecclesia, quoniam fides quam profitetur Apostolorum innititur testimonio, quia in iis quae celebrat mysteriis praesidente videlicet Episcopo aliquo Apostolorum successore aliove in apostolica successione ordinato ministro, fideliter res ex apostolica perceptas Traditione transmittit, cum ille quem Deo reddit cultus in officio ipsam obstringat Evangelium in orbe disseminandi.

Sic profecto in Liturgia Ecclesiae Mysterium annuntiatur et gustatur et vivitur.⁴⁴

³⁷ Cf. *Missale Romanum*, Praefatio VIII de Dominicis « per annum ».

³⁸ Const. *Sacrosanctum Concilium*, 41.

³⁹ Cf. *Missale Romanum*, Prex eucharistica II et IV.

⁴⁰ Cf. *ibid.*, Prex eucharistica III; Symbolum Nicaenum-Constantinopolitanum.

⁴¹ Cf. *ibid.*, Prex eucharistica I.

⁴² Cf. *ibid.*, Benedictio sollemnis in Dominica Pentecostes.

⁴³ Cf. *ibid.*, Prex eucharistica III.

⁴⁴ Cf. Allocutio ad eos qui interfuerunt Conventui Praesidum et Secretariorum Commissionum Nationalium de Liturgia (27 Octobris 1984), 1: *Insegnamenti*, VII/2 (1984), p. 1049.

III

DIRECTORIA PRINCIPIA AD LITURGICAE VITAE
TEMPERANDAM RENOVATIONEM

10. Superioribus ex praeceptis normae deducuntur quaedam ac moderatrices rationes quibus est vitae liturgicae gubernanda renovatio. Etsi enim a Concilio Vaticano Secundo decreta Liturgiae instauratio aestimari potest iam ad effectum perducta, pastoralis tamen Liturgiae industria secum perpetuum quoddam infert officium et opus, quo abundantius usque ex Liturgiae divitiis illa hauriatur virtus vitalis quae Corporis ipsius partibus quod est Ecclesia a Christo effunditur.

Quoniam Christi sacerdotii Liturgia perfunctio est, viva semper illa discipuli sustineatur necesse est adfirmatio coram arcana Christi praesentia: « Dominus est » (Io 21, 7). Eorum autem omnium quae in Liturgia agimus nihil maioris esse potest momenti quam id quod invisibili at vero solidoque modo perficit Spiritus sui opera Christus. Vivens per caritatem fides et adoratio, laus Patris et contemplationis silentium prima numquam non erunt proposita per pastorem liturgicam sacramentalemque actionem adsequenda.

Quod Liturgia verbo Dei universa pervaditur, aliud quodlibet verbum oportet cum illo congruat, in primis homilia, verum cantus etiam ac monitiones. Non licet lectionem aliam ullam in verbi biblici locum suffici; hominum contra voces Verbo Dei famulari neque obscurare umquam oportet.

Actiones liturgicae quia « non sunt actiones privatae, sed celebrationes Ecclesiae, quae est "unitatis sacramentum" », ⁴⁵ sola pendet ipsarum disciplina ex hierarchica Ecclesiae auctoritate. ⁴⁶ Etenim universum pertinet Liturgia ad Ecclesiae corpus. ⁴⁷ Qua de causa non licet cuiquam, ne sacerdoti quidem neque cuilibet fidelium numero, quidquam proprio iudicio addere inibi demere aut invertere. ⁴⁸ Fidelitas erga ritus ac veros Liturgiae textus necessitas est quam ipsa importat « lex orandi », quae convenire semper debet iis quae prae se fert « lex credendi ». Imminuta autem his in rebus fidelitas afficere ipsam etiam potest sacramentorum validitatem.

⁴⁵ Const. *Sacrosanctum Concilium*, 26.

⁴⁶ Cf. *ibid.*, 22 et 26.

⁴⁷ Cf. *ibid.*, 26.

⁴⁸ Cf. *ibid.*, 22.

Cum Ecclesiae sit celebratio, poscit Liturgia omnium et actuosam et consciam et participationem plenam pro ordinum munerumque varietate: ⁴⁹ cuncti enim, tam ministri quam fideles reliqui, suas quisque sustinens partes id absolvunt, quod ad illos pertinet idque dumtaxat quod eorum est.⁵⁰ Quocirca communitatis celebrationem aliis Ecclesia anteponit, quotiescumque illud rituum natura suadet; ⁵¹ ut ministri et lectores, cantores et commentatores rite instituantur hortatur, qui germanum obeant liturgicum ministerium; ⁵² concelebrationem revocavit; ⁵³ communem Liturgiae Horarum celebrationem commendat.⁵⁴

Magna cum sit precationis Ecclesiae schola Liturgica sacra, visum est inducere linguarum recentiorum usum ac diffundere, consuetudine tamen linguae Latinae a Concilio servatae in Ritibus latinis ⁵⁵ nequaquam submota, ut attendere quisque proprioque sermone possit extollere magnalia Dei (cf. *Act* 2, 11); placuit item Praefationum et Precum eucharisticarum numerum augere unde thesaurus precationis locupletatur simulque mysteriorum Christi intellectus.

Pondus autem pastorale magnum cum in se complectatur Liturgia, libri ipsi liturgici locum ac spatium concesserunt res ad communitatem et ad fideles accommodandi, tum etiam aditum quendam ad ingenia cultusque humani formas diversorum populorum.⁵⁶ Rituum reintegratio nobilem persecuta est simplicitatem⁵⁷ atque signa intellectu facilia. Attamen exoptata illa simplicitas delabi non debet in signorum spoliationem; quin immo ex contrario habeant oportet signa, praesertim sacramentalia, quam maximam exprimendi vim. Panis et vinum, aqua et oleum, incensum quoque et cineres, ignis ac flores necnon ferme cuncta rerum creaturarum elementa suum obtinent in Liturgia sacra locum veluti dona Creatori oblata atque adiumenta dignitati celebrationis pulchritudinique data.

⁴⁹ Cf. *ibid.*, 26.

⁵⁰ Cf. *ibid.*, 28.

⁵¹ Cf. *ibid.*, 27.

⁵² Cf. *ibid.*, 29.

⁵³ Cf. *ibid.*, 57; SACRA CONGREGATIO RITUUM, Decretum generale *Ecclesiae semper* (7 Martii 1965): *AAS* 57 (1965), pp. 410-412.

⁵⁴ Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, 99.

⁵⁵ Cf. *ibid.*, 36.

⁵⁶ Cf. *ibid.*, 37-40.

⁵⁷ Cf. *ibid.*, 34.

IV

REFORMATIONIS USUS

a) *Difficultates*

11. Concedendum quidem est reformationis liturgicae usum in difficultates incidisse praesertim ex condicionibus ortas parum propriis, quarum propria erant privatus ambitus religiosus, quaedam omnis institutionis recusatio, minor Ecclesiae in societate visio, revocatio fidei personalis in controversiam. Opinari etiam licet transitum a simplici praesentia, desidi interdum et muta, ad pleniorum et actuosiorum participationem aliquid nimium forte ab aliquibus postulasse. Hinc dissimiles vel etiam oppositae rationes profectae sunt erga reformationem: alii novos libros acceperunt quadam cum neglectione vel mutationum causas nec percipere nec significare curantes; alii, quod valde dolendum est, modo solum suo et unico ad antecedentes liturgicas formas se contulerunt, a nonnullis eorum habitas unam incolumitatis fidei auctoritatem. Alii, denique, novitates foverunt fallaces, a normis aberrantes auctoritate Apostolicae Sedis praescriptis aut ab Episcopis, unitatem ita Ecclesiae et fidelium pietatem perturbantes, conflictantes quandoque cum ipsis fidei argumentis.

b) *Exitus prosperi*

12. Non ideo tamen obliviscendum est pastores et populum christianum plerumque reformationem liturgicam accepisse cum oboedientiae spiritu, quin laeti fervoris.

Sunt ergo Deo gratiae persolvendae ob Spiritus eius in Ecclesia transitum, qualis fuit liturgica renovatio,⁵⁸ ob verbum Dei mensam, iam copiose omnibus patentem;⁵⁹ ob immanem laborem toto orbe exanclatum, quo populus christianus Bibliorum, Missalis ceterorumque librorum translationibus instrueretur; ob auctam fidelium, per preces et cantus, per se praebendi rationes perque silentium, Eucharistiae participationem ac reliquorum sacramentorum; ob ministeria quae laici sustinent et onera quae susceperunt ex sacerdotio communi, in quo Baptismo et Confirmatione constituuntur; ob radiantem alacritatem tot christianarum communitatum, e Liturgiae fontibus haustam.

⁵⁸ Cf. *ibid.*, 43.

⁵⁹ Cf. Const. dogm. *Dei verbum*, 21; Const. *Sacrosanctum Concilium*, 51.

Hae causae sunt, cur fideliter adhaereatur doctrinae Constitutionis *Sacrosanctum Concilium* et reformationibus, quas ea perficere permisit: « Renovatio liturgica est fructus maxime visibilis totius operis conciliaris ».⁶⁰ Multi nuntium Concilii Vaticani II praesertim ex reformatione liturgica perceperunt.

c) *Usus vitiosi*

13. Una cum reformationis liturgicae utilitatibus agnoscendi sunt et arguendi errores, maioris minorisve momenti, in eius usu.

Animadvertuntur nonnumquam praetermissiones aut adiuncta illicita, ritus ficti extra statutas normas, gestus aut cantus qui nec fidei favent nec sacrorum sensui, licentiae in absolutione communi tractanda, confusio sacerdotii ministerialis, cum ordinatione coniuncti, et fidelium sacerdotii communis, quod ex Baptismate pendet.

Patiendum non est nonnullos sacerdotes sibi ius arrogare preces eucharisticas componendi vel textus profanos pro textibus Sacrarum Litterarum substituendi. Eiusmodi libita, nedum reformationi liturgicae in se annexa sint vel libris, qui eam secuti sunt, ei directo repugnant, eam deformant et populo christiano veras Liturgiae Ecclesiae divitias adimunt.

Episcoporum est ea extirpare, quoniam Liturgiae moderatio ab Episcopo pendet, ad normam iuris⁶¹ et « suorum fidelium vita christiana quodammodo ab eo derivatur ».⁶²

V

RENOVATIONIS FUTURUM

14. Constitutio *Sacrosanctum Concilium* vocem unanimam expressit collegii episcopalis, apud Petri Successorem congregati et quidem cum Spiritus veritatis, a Domino Iesu promissi (*Io* 15, 26), assiduitate; hoc documentum pergit Ecclesiam sustinere in itinere renovationis et sanctitatis, eius germanam vitam liturgicam augens.

⁶⁰ *Relatio finalis ad Coetum extraordinarium Synodi Episcoporum* (7 Decembris 1985), II, B, b, 1.

⁶¹ Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, 22, 1.

⁶² *Ibid.*, 41.

Principia in hoc documento enuntiata informant etiam ad Liturgiae futura, ita ut reformatio liturgica plus plusque comprehendatur et perficiatur. « Oportet ergo convenitque ut nova, *impensa institutio* impertiatur eo consilio ut omnes divitiae, quae in Liturgia continentur, aperiantur ».⁶³

Ecclesiae Liturgia reformationem liturgicam excedit. Non in eadem sumus condicione ac anni 1963: sacerdotum et fidelium genus, librorum liturgicorum qui ante reformationem liturgicam ferunt inscium, iam nunc plena cum conscientia in Ecclesia et in societate operatur. Non ergo loqui de mutatione pergere licet sicut cum Documentum est foras datum, sed de acriore in dies Liturgiae Ecclesiae pervestigatione, secundum praesentes libros celebratae utque facti ordinis spiritalis actae.

a) *Formatio biblica et liturgica*

15. Id, quod maxime urget, formatio biblica et liturgica est populi Dei, pastorum et fidelium. Hoc iam Constitutio illustraverat: « Ut hoc evenire possit (totius populi plena et actiosa participatio) spes nulla effulget nisi prius ipsi animarum pastores spiritu et virtute Liturgiae penitus imbuantur in eaque efficiantur magistri ».⁶⁴ Est hoc opus diuturnum quod incipere debet in seminariis studiorumque domibus religiosis⁶⁵ et per totam vitam sacerdotalem perseverare.⁶⁶ Haec eadem institutio, eorum vitae generi accommodata, etiam laicis necessaria est,⁶⁷ eo magis quod, multis in regionibus, ii ad onera sumenda vocantur magis magisque in communitate conspicua.

b) *Accommodatio*

16. Alia in posterum res magni momenti accommodationem contingit Liturgiae ad diversas culturas. Constitutio principium enuntia-

⁶³ Epistula *Dominicae Cena*e (24 Februarii 1980), 9: AAS 72 (1980), p. 133.

⁶⁴ Const. *Sacrosanctum Concilium*, 14.

⁶⁵ Cf. SACRA CONGREGATIO RITUUM, *Instructio Inter Oecumenici* (26 Septembris 1964), 11-13: AAS 56 (1964), pp. 879-880; SACRA CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA, « *Ratio fundamentalis* » institutionis sacerdotalis (6 Ianuarii 1970), cap. VIII: AAS 72 (1970), pp. 351-361; *Instructio In ecclesiasticam futurorum* de institutione liturgica in Seminariis (3 Iunii 1979), Romae 1979.

⁶⁶ Cf. SACRA CONGREGATIO RITUUM, *Instructio Inter Oecumenici* (26 Septembris 1964), 14-17: AAS 56 (1964), pp. 880-881.

⁶⁷ Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium*, 19.

vit, rationem indicando a Conferentiis Episcopalibus sequendam.⁶⁸ Linguarum accommodatio celeris fuit, etsi aliquando effectus difficilis. Eam secuta est rituum accommodatio, difficilior quidem, sed pariter necessaria. Magnus perstat labor inserendi Liturgiam in quasdam culturas, ex eis illas accipiendo significationes, quae convenire possunt *veris et germanis aspectibus Liturgiae*, substantiali servata Ritus Romani unitate, in libris liturgicis expressa.⁶⁹ In accommodatione perficienda consideretur oportet in Liturgia, et praesertim in sacramentorum Liturgia, *partem immutabilem* inesse, utpote divinitus institutam, cuius Ecclesia est custos, et *partes quae mutari possunt*, quas ipsa potest et interdum debet ad culturas componere populorum recens evangelizatorum.⁷⁰ Non est haec quaestio Ecclesiae nova: varietas liturgica fons auctus esse potest, sed etiam contentiones suscitare, inscitias invicem et etiam schismata. Patet hac in re varietatem non debere unitati nocere, nec exprimi posse nisi per fidelitatem erga fidem communem, erga signa sacramentalia, quae Ecclesia a Christo accepit, atque erga ierarchicam communionem. Accommodatio ad culturas cordis conversionem exigit et, si necesse sit, etiam intermissionem consuetudinum avitarum cum fide catholica insociabilem. Hoc magnam postulat formationem theologicam, historicam et culturalem necnon sanum iudicium, quo discernatur quid sit necessarium, vel utile, aut omnino inutile, vel in fidem periculosum. «Hac in provincia iustum incrementum esse non poterit, nisi fructus gradatim crescentis fidei, quae amplo concentu comprehendat spiritalem sapientiam, perspicuitatem theologicam, Ecclesiae sensum universalis».⁷¹

c) *Novarum quaestionum consideratio*

17. Renovationis liturgicae opera debet adhuc nostrae aetatis necessitatibus respondere. Liturgia non est corpore abstracta.⁷² His viginti quinque annis novae ortae sunt quaestiones aut novum sumpserunt momentum; quales, verbi gratia, exercitium diaconatus viris con-

⁶⁸ Cf. *ibid.*, 39.

⁶⁹ Cf. *ibid.*, 37-40.

⁷⁰ Cf. *ibid.*, 21.

⁷¹ Allocutio ad Zairenses Episcopos occasione oblata «ad Limina» visitationis coram admissos (12 Aprilis 1983), 5: *AAS* 75 (1983), p. 620.

⁷² Allocutio ad eos qui interfuerunt Conventui Praesidum et Secretariorum Commissionum Nationalium de Liturgia (27 Octobris 1984), 2: *Insegnamenti*, VII/2 (1984), p. 1051.

cessum matrimonio coniunctis; munera liturgica quae in celebrationibus possunt laicis delegari, viris aut mulieribus; celebrationes liturgicae pro pueris, iuvenibus ac mentis vel corporis imminutione laborantibus; modi textus liturgicos componendi certae definitaeque nationi aptos.

Constitutio *Sacrosanctum Concilium* harum quaestionum mentionem non facit, sed principia generalia indicat vitae liturgicae disponendae et provehendae.

d) *Liturgia et pietas popularis*

Post domum Cracoviae anno 1880 conditam, quae vocationibus colligendis sedes facta est, Sorores Sacrae Familiae Nazarethanae anno 1885 ad Foederatas Civitates Americae Septemtrionalis arcessitae sunt, suum ibi apostolatum exerciturae. Missionale opus initium habuit, cui benedixit Deus; nam Conditrix, compluribus confectis ab Europa ad Americam itibus redivis, potuit intra septemdecim annos constituere undetriginta domus, e quibus scholas, nosocomia et sedes rerum subsidiariarum administrandarum. Eadem in Europa, nempe in Gallia et in Anglia, opera condidit.

Sexaginta annos nata, tot fracta laboribus, at plus etiam rebus adversis, quae necessario Dei incepta sequuntur, inopinato, sanctis refecta sacramentis, Romae mortua est die vigesimo primo Novembris anno 1902 in Congregationis domo principi.

Textus orationis indicatur, approbatus occasione data beatificationis Servae Dei Mariae a Iesu Bono Pastore, a Summo Pontifice Ioanne Paulo II die 23 aprilis 1989 peractae, in area quae respicit Basilicam Sancti Petri.

21 novembris

COLLECTA *

Deus, qui Beatae Mariae a Iesu Bono Pastore
munus gratiae contulisti
Sanctae Familiae exempla imitandi,
eius intercessione concede,
ut familiae quae christiana professione censentur
easdem domesticas sectentur virtutes,
ad tuam gloriam et regnum tuum
in terris iugiter dilatandum.
Per Dominum.

Textus anglicus

O, God,
you gave Blessed Mary of Jesus the Good Shepherd
the charism to model her life
upon the example of the Holy Family of Nazareth,
grant us the grace to imitate her
and to inspire Christian families
with the desire to lead a life worthy of their vocation
for your greater glory
and for the extension of your kingdom upon earth.
Through our Lord.

Textus italicus

O Dio, che hai concesso alla Beata Maria di Gesù Buon Pastore
di modellare la sua vita
sull'esempio della Sacra Famiglia di Nazareth,
dona a noi la grazia di imitarla

* Textus *latinus, anglicus, italicus* et *polonus* probati seu confirmati a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 19 aprilis 1989, Prot. CD 132/89.

e ispira alle famiglie cristiane
di vivere una vita degna del loro stato,
a tua maggior gloria
e per l'estensione del tuo regno sulla terra.
Per il nostro Signore.

Textus polonus

Boże, nasz Ojczy,
Ty pozwoliłeś Marii od Jezusa Dobrego Pasterza
życie swoje kształtować na wzór Świętej Rodziny,
udziel nam łaski naśladowania jej
i naucz rodziny chrześcijańskie
żyć zgodnie z ich powołaniem,
dla większej chwały Twojej
i dla rozszerzania Królestwa Twojego na ziemi.
Przez naszego Pana.

Beata Maria Margarita Caiani

Serva Dei nata est Podii ad Caianum in dioecesi Pistoriensi die 2 mensis Novembris anno 1863 ex Iacobo Caiani et Aloisia Fortini.

Cognita vocatione ad se Domino consecrandam, anno 1893 ingressa est monasterium Pistoriense Benedictinarum, sed post mensem domum rediit, quoniam intellexit ad vitam clausurae se non esse aptam, sed ad apostolatam caritatis. Quibusdam viris ecclesiasticis monentibus propositum deposuit intrandi in Congregationem iam constitutam, seque dedit pueris pagi sui educandis et erudiendis. Qua de causa die 19 mensis Septembris anno 1894, cum una socia, Podii ad Caianum scholam aperuit, ubi praeter christianam doctrinam pueri litteras docebantur. Die 6 Novembris anno 1896 Serva Dei, Maria Fiaschi et Redempta Frati suas domus reliquerunt, ut communiter viverent seque omnino addicerent suae sancticationi, apostolatu et scholae iam inchoatae. Opus, in simplicitate et in paupertate ortum, coepit celeriter crescere et novis vocationibus augeri, adeo ut ab anno 1910 ad multas Italicas dioeceses se extenderit.

Nova Familia seu Institutum Tertii Ordinis Franciscalis Minimorum a Sacro Corde anno 1900 primarum Constitutionum approbationem obtinuit ad triennium, quae postea est rite renovata. Die 17 mensis

Martii anno 1901 Serva Dei electa est Antistita Communitatis et die 15 mensis Decembris insequenti anno vestem religiosam induit, nomine sibi sumpto Sorore Maria Margarita a Sacro Corde. Die 17 mensis Octobris anno 1905, cum quinque comitibus, votorum professionem fecit et anno 1915 est ei officium Antistitae Generalis continuatum quamdiu vixisset.

Nec tantum pro suo Instituto laboravit; namque multimodis caritatem exercitavit erga proximum: precabatur et ad precandum hortabatur pro sacerdotum sanctificatione; curare perrexit puerorum educationem eosque doctrinam christianam docere; aegris assidebat, ad quorum lectos se conferebat tum quoque, cum morbi fastidiosi erant, nec raro totam noctem apud eos pervigilabat eosdemque praeparabat ad sacramenta accipienda. Uti bona mater, cotidie ipsa sorbitionem pauperibus largiebatur. Gratum ei erat illos adiuvere, qui eam vexaverant; statuerat namque se omnium sororem esse. Multum mulieribus matrimonio coniunctis, viduis, desponsis prospiciebat; semper parata erat ad consolandos eos, qui ad eam confugiebant.

Has laudabiles mentis positiones, quas non communi prudentia et mira humilitate in variis vitae casibus expresserat, Serva Dei servavit usque ad diem 8 mensis Augusti, quo pie mortua est, in oppido *Montughi* in finibus archidioecesis Florentinae, anno 1921. Congregationem reliquit plus ducentas Sorores habentem, in 21 domibus distributas.

* * *

Textus orationis indicatur, approbatus occasione data beatificationis Servae Dei Mariae Margaritae Caiani, a Summo Pontifice Ioanne Paulo II die 23 aprilis 1989 peractae, in area quae respicit Basilicam Sancti Petri.

8 augusti

COLLECTA *

Deus, refugium nostrum in necessitatibus,
qui Beatae Mariae Margaritae tribuisti
Christi Cor divinum in cruce vulneratum
spiritu humilitatis, dulcedinis et abnegationis sectari,

* Textus *latinus* et *italicus* probati seu confirmati a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 13 aprilis 1989, Prot. CD 80/89.

eius intercessione concede,
ut dilecti Filii tui caritatis exemplum imitantes
et nos animarum saluti penitus devoveamus.

Per Dominum.

Textus italicus

Dio, nostro rifugio nelle prove,
che hai concesso alla Beata Maria Margherita Caiani
di seguire il divin Cuore di Cristo,
trafitto sulla croce,
con spirito di umiltà, dolcezza e sacrificio;
fà che per il suo esempio e la sua intercessione
possiamo anche noi imitare la carità del tuo diletto Figlio
e dedicarci generosamente alla salvezza dei fratelli.
Per il nostro Signore.

Beata Maria Catharina a S. Augustino

Dei Famula die 3 Maii anno 1632, parentibus Iacobo Symon de Longprey et Francisca Jourdan de Launay, in loco cui vulgo nomen *Saint Sauveur le Vicomte*, dioecesis Costantiensis, in Normannia, nata est, eodemque die Baptismate regenerata. Infans avis maternis instituenda tradita, pietate et caritate alita est, ab ipsomet S. Ioanne Eudes ad perfectionis iter vel in tenella aetate terendum acta. Die 7 mensis Octobris anno 1644, duodecim annos et sex menses nata, inter Moniales Hospitalarias Ordinis S. Augustini recens conditi asceterii « *Hôtel-Dieu* » Baiocensis est recepta, inibi die 24 mensis Octobris anno 1646 vestem religionis indutura. Ad missionem Canadiensem, quo paulo ante Moniales Hospitalariae concesserant, cum sese obtulisset, votis simplicibus die 15 mensis Aprilis anno 1648 suo in asceterio nuncupatis, iter animose instituit, in quo, die 4 mensis Maii eiusdem anni Nannetibus professionem sollemnem fecit, dieque 27 Maii in portu Rupellensi consensa navi, in Novam sibi dilectissimam Galliam, post difficilem navigationem, die 19 mensis Augusti pervenit, ubi sorores monasterii « *Hôtel-Dieu* » Quebeci laetanter in domum suam eam receperunt.

Humilis omnium ancilla, etsi valde iuvenis, intellectu tamen dives, quem Deus dat parvulis (cf. Ps 118, 130), depositaria, consiliaria,

novitiarum magistra renunciata, vel minima summa prudentia est exsecuta. Infirmis curandis addicta, sui immemor totam se aegrotis in « Hôtel-Dieu » receptis dedit, ab illis prae omnibus desiderata et amata, et fide ac caritate Christi mota, paschale mysterium suis in membris infirmis adhuc agentis, facultate speciali excellere videbatur eos ad spem erigendi mireque consolandi. Suavis enim et comis, omnes laetitia replebat quos obvios habebat, velut radius manifestus bonitatis Dei, quem quodammodo fide contemplari, vel inter maximas occupationes, videbatur.

Ardore caritatis magis quam infirmitate consumpta, sex et triginta annos nata, pientissime Quebeci in Domino obiit die 8 mensis Maii anno 1668.

* * *

Textus orationis indicatur, approbatus occasione data beatificationis Servae Dei Mariae Catharinae a Sancto Augustino, a Summo Pontifice Ioanne Paulo II die 23 aprilis 1989 peractae, in area quae respicit Basilicam Sancti Petri.

8 maii

COLLECTA *

Deus, qui Canadensis Ecclesiae primordia
Beatae Mariae Catharinae virginis
vita ac meritis fecundasti,
eius intercessione concede,
ut populi christiani fides
in dies renovetur atque succrescat.
Per Dominum.

Textus gallicus

Dieu, qui as fécondé les débuts de l'Eglise du Canada
par la vie et les mérites
de la Bienheureuse Marie-Catherine de saint Augustin,
fais que, par sa intercession,
la foi du peuple chrétien
se renouvelle et s'approfondisse.
Par Jésus Christ.

* Textus *latinus* et *gallicus* probati seu confirmati a Congregatione pro Cultu Divino, die 14 ianuarii 1989, Prot. 1594/88.

Beata Victoria Rasoamanarivo

Nata est Serva Dei a. 1848 in urbe *Tananarive* ex familia in Regno Hova primaria et potentissima, quae paganis primaevae religionis principiis adhaerebat. Cum vero meliorem formationem intellectualem iuvenis puella Rosoamanarivo ambiret, frequentare coepit scholam quam Sorores a S. Ioseph de Cluny in urbe principe Madagascariae aperuerant. Harum Religiosarum tum vita exemplaris tum servitium apostolicum abnegatione et sacrificiis plenum, tantam admirationem suscitaverunt ut puella cor suum gratiae divinae in dies magis ac magis aperiret et tredecim annos nata efflagitaret baptismum quod, post congruam praeparationem, in sollemnitate tandem Omnium Sanctorum a. 1863 suscepit. Firmiter in fide radicata restitit deinceps variis persecutionum generibus et quaevis sacrificia, etiam gravissima, subire maluit potius quam crimen apostasiae committere. Nomen Victoriae quod in baptismo receperat, praesagium erat invictae fidelitatis.

Brevi temporis spatio Serva Dei cogitavit quidem se forsitan divinitus vocari ad vitam religiosam, sed, audito consilio magistri pietatis, mox intellexit talem non esse viam sibi a Domino destinatam.

Anno 1864 Victoria matrimonio iuncta est cum Ratsimatahadrika (brevius: Radriaka), qui erat filius primogenitus avunculi sui, potentissimi scilicet Primi Ministri Regni Madecassensis. Quod matrimonium, secundum usus locales a parentibus decum, Serva Dei inire noluit nisi obtenta facultate illud coram Ecclesia ratificandi. Obligationes sic assumptas Serva quidem Dei semper ad amussim servavit; maritus autem cum publice alcoolismi et luxuriae vitiis esset deditus, uxorem continuis humiliationibus et opprobriis cumulabat. Res eo pervernerunt ut pater Radriaka, immo ipsa quoque Regina matrimonium tam infelix dissolvere cuperent, sed Victoria huiusmodi propositis numquam aures praebere voluit, apprime sciens matrimonium christianum esse indissolubile, immo ipsam legitimam a mensa et toro separationem in natione sua perperam intellectum iri, velut si per id divortium admitteretur. Spatio viginti et trium annorum Serva Dei hanc crucem portavit; doloresque dissimulans, numquam fatum suum conquesta est; immo dum mansueta et mitis maritum domi recipiebat, orationes et mortificationes protrahabat ut eius conversionem et aeternam salutem a Deo impetraret. Dominus vero, qui humilium preces exaudit nec generositate se vinci sinit, magnam consolationem Servae Dei concessit. Nam cum Radriaka, in domo concubinae ebrius, mortali vul-

nere correptus concidisset atque subinde in domum Victoriae translatus esset, uxoris curis atque blanditiis ita fuit brevi dispositus ut regenerationis baptismate recepto, atque christianus demum factus ex hoc mundo serenus discesserit.

Anno 1883 Gubernium Madecassense coepit persequi Ecclesiam; missionarios in exilium eiecit; ecclesias et scholas catholicas clausit; fideles, nuperrime tantum ad fidem conversos, minis aliisque mediis violentis ad apostasiam inducere conatum est. Ecce tum Victoria Rasoamanarivo periclitanti Ecclesiae succurrit, utens singulari auctoritate morali quam virtuosa vita sibi comparaverat.

Reginam et Primum Ministrum adit ab eisque numerosas mitigationes et concessionem obtinet; a consiliis est Unioni Catholicae seu Associationi Laicorum Catholicorum, eique animum et novum vigorem infundit; percurrit Insulam Rubram et in dissita quoque loca legatos suos mittit, ut abusus satrapum contineat; mille aliis modis ita in favorem Ecclesiae se impendit, ut mox passim vocetur « columna » vel etiam « pater et mater » Ecclesiae. Quando post triennium persecutio cessat et missionarii in Madagascariam revertuntur, non ruinas et desolationem inveniunt, sed communitates catholicas vegetas, immo novo robore vigentes. Providentiali missione expleta, Victoria magna cum humilitate pristinam vitae formam, simplicem et fere absconditam, quiete resumit.

Denique, brevi morbo correpta, die 21 Augusti a. 1894 sancte moritur. Post quattuor dies exuviae eius summa cum pompa tumulantur in mausoleo familiae, unde a. 1961 transferuntur ad coemeterium catholicum in *Ambohipo* situm.

* * *

Textus orationis indicatur, approbatus occasione data beatificationis Servae Dei Victoriae Rasoamanarivo, a Summo Pontifice Ioanne Paulo II die 30 aprilis 1989 peractae, in loco V. d. « Analamahitsy ad Antananarivo » (Madagascar).

21 augusti

COLLECTA *

Deus, Pater misericordiarum,
qui in Ecclesia tua Beatam Victoriam
fidelem ancillam effecisti,

* Textus *latinus* et *gallicus* probati seu confirmati a Congregatione pro Cultu Divino, die 17 decembris 1988, Prot. 1403/88.

in pauperes et humiles sollicitudine plenam,
eius nobis intercessione concede,
ut Spiritus Sancti gratia roborati
ad tuum regnum dilatandum
in dies nosmetipsos impendere valeamus.
Per Dominum.

Textus gallicus

Dieu, Père de toute miséricorde,
tu as fait de la bienheureuse Victoire
une fidèle servante dans ton Eglise,
pleine de sollicitude pour les pauvres et les petits;
par son intercession, accorde-nous la force de ton Esprit Saint,
pour travailler sans cesse, nous aussi, à étendre ton règne.
Par Jésus Christ.

Beatus Scubílio

Servus Dei natus est in oppido *Annay-la-Côte*, in Burgundia (Galliae regione) die 22 mensis Martii anno 1797, quattuor filiorum primogenitus, a Bernardo Rousseau, lapicida, et a Regina Pelletier genitorum; qui tenui loco orti, in magno tamen erant honore ob suam religionem: eum namque ipso die natali baptizaverunt.

Anno 1807 Ioannes Bernardus primum Eucharistiae sacramentum accepit; quod factum magni momenti fuit eius pueritiae, cum curam iam praematuram haberet de rebus ad religionem pertinentibus. Postquam vero novus parochus venit, Servus Dei vitam suam ad iustum iter dirigere coepit; etenim ex ministerio illius iuvenis sacerdotis, a quo alliciebatur, multam percepit utilitatem. Praecipue emergit Ioannem Bernardum in vix constitutum sodalicium a Sacro Corde nomen profiteri inter primos petivisse. Eodem tempore novus parochus, cognitis difficultatibus quibus scholae magister propter magnum puerorum numerum premebatur, ipsi Dei Servo adiutoris munus iniunxit, quasi praesagiens futurum Ioannis Bernardi ministerium.

Etiam nodum quaerendi exemplar religiosum consentaneum vocationi Ioannis Bernardi Rousseau idem parochus peropportune resolvit;

memor enim curae, quam Fratres Scholarum Christianarum de iuvenibus impense agebant, statuit illum ad eos dirigere. Et quidem, die 9 mensis Novembris anno 1822, Ioannes Bernardus ingressus est novitiatum Fratrum Scholarum Christianarum Lutetiae Parisiorum; deinde die 25 mensis Decembris eodem anno habitum Instituti suscepit, vota trium annorum nuncupavit anno 1825 et anno 1827 vota perpetua. Interim, spatio temporis, quod intercessit ab anno 1823 ad annum 1831, Frater Scubilio — hoc nomen in religione sumpsit Ioannes Bernardus Rousseau — specimina dedit virtutum atque singularium dotum catechistae tum Alençonii, tum Pictavii, tum in loco vulgo *Chinon* appellato.

Anno 1833 vita Servi Dei mutationem maximi ponderis habuit; cum enim Galliae necessitas imponeretur mittendi colonos ad indígenas provinciarum, quae maxime distabant, et eo in casu, qui curam haberent iuvenum, Superior Generalis, die 9 mensis Martii, tres Fratres protulit ad Insulam Reunionem, in Oceano Indiano, mittendos, inter quos Fratrem Scubilionem.

Paulo post profectus, longissima navigatione confecta, Servus Dei ad portum Sancti Dionysii mane pervenit, die 15 mensis Iulii anno 1833, bene cognitum habens se supremum vale Gallicae patriae dixisse.

Ab anno 1833 ad annum 1867, quo mortuus est, Ioannes Bernardus actionem apostolicam in principibus insulae urbibus explicavit, seu Sancti Benedicti (annis 1833-1836), Sancti Pauli (annis 1836-1841), rursus Sancti Benedicti (annis 1843-1850), Sancti Lupi (annis 1843-1850), Possessione (annis 1850-1855), Sancti Dionysii (annis 1855-1856), Sanctae Mariae (annis 1856-1867), ubi e vita decessit.

Die 13 mensis Aprilis, anno 1867, immature senex factus ob ingentem laboris molem et ischuria affectus, Frater Scubilio huius vitae cursum confecit magna fama sanctitatis clarus.

Textus orationis indicatur, approbatus occasione data beatificationis Servi Dei Fratris Scubilionis (Ioannis Bernardi Rousseau), a Summo Pontifice Ioanne Paulo II die 2 maii 1989 peractae, in loco v. d. « Esplanade Notre Dame de la Trinité a St. Denis » (Réunion).

20 decembris

COLLECTA *

Deus, qui Beatum Scubilionem
educatorem eximium effecisti
fide ac zelo plenum
in evangelizandis pauperibus,
in servis ad spem adducendis
atque peccatoribus ad reconciliationem vocandis;
eius exemplo et intercessione concede,
ut fraternitatis caritatem
et Crucis Christi fulgorem
in corde et opere exhibere possimus.
Per Dominum.

Textus gallicus

Seigneur,
tu as fait du Bienheureux Scubilion
un éducateur plein d'esprit de foi et de zèle
pour évangéliser les pauvres,
conduire les esclaves à l'espérance,
appeler les pécheurs à la réconciliation;
accorde-nous de suivre son exemple
en témoignant par toute notre vie
de notre charité fraternelle
et du rayonnement de la Croix du Christ.
Lui qui règne.

* Textus *latinus* et *gallicus* probati seu confirmati a Congregatione pro Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 10 februarii 1989, Prot. 258/89.

DE CANONIZATIONIBUS

Sancta Cloelia Barbieri

In oppido Budrie, intra Bononiensis Archidioecesis fines, e Iosepho et Hyacintha Nannetti, piis honestisque ac pauperibus coniugibus, puella nata est die 13 Februarii anno 1847 eodemque die baptismo renata, Cloeliae Mariae Rachelae nominibus impositis. Inde ab infantia ad pietatem maxime proclive ingenium ostendebat, ipsam immo sanctitatem quomodo assequi posset matrem rogabat. Patre vita functo anno 1855, in maiorem egestatem familia incidit quidem, sed divinae prorsus voluntati obsequens eiusque providentiae confidens, manuum labore iis quae ad vitam sunt necessaria consulebat. Confirmationis sacramento anno 1856 roborata Cloelia, divinaque dape post biennium primitus suscepta, in Dei amore mirifice iugiter succrevit.

Sub sapienti ac prudenti parochorum moderamine, quorum nutibus omnino se subiecerat, quomodo posset in puellarum spirituale bonum se impendere moliebatur. Sicque sensim sine sensu gratiam non modo apud puellas paroeciae, sed et earum familias sibi conciliavit, aptamque se ad divina consilia exsequenda comparabat. Verum, dum grandia de ea omnes ominantur, in gravem ipsa morbum incidit, a quo ad mortis limen adducta fuit pulsataque aera pro eius agone. Tunc intime sensit se convalituram, quia a Deo ab ea aliquid aliud expetebatur. Hoc autem re factum est. Nonnullae enim cum Cloelia sancta amicitia coniunctae parique permotae voluntate in christiana perfectione proficiendi atque in bonum animarum se impendendi, eidem se adiunxerunt, superatisque omne genus impedimentis calumniisque, Instituti Minimorum Sororum a Virgine Perdolente germen factae sunt, dieque primo Maii mensis anno 1868 simul convenerunt pauperrimamque conducticiam domum sunt ingressae, religiosam vitam inaugurantes. Instituto titulum hunc Cardinalis Parochi Archiepiscopus indidit, ob magnam religionem qua Cloelia eiusque sociae erga S. Franciscum a Paula tenebantur. In huius primordiis maxima rerum omnium egestas eas pressit, quam heroice pro Dei amore perpessae sunt, cui saepe inopinato mirabiliter a divina providentia subventum est.

Venerabilis Cloelia ab infantia ad mortem usque continua oratione, carnis castigatione, vigilantia cura, summo divinae voluntati obsequio, iugi conatu, Deo unice immota confidens, ad perfectum Dei amorem pervenit, aptumque magnalium Eius instrumentum facta est. Quapropter

ter Deus eam in vita, in morte et post mortem munifice ditavit: viventem quidem, donis raptum, ecstasis, cordium scrutationis aliisque; morientem, certam spem ei dans aeterni praemii mox assequendi; post eius supremum diem, plures gratias eius patrocinio fidelibus largiendo.

Phthisico morbo, quo iamdiu laboraverat confecta, divinis sacramentis pientissime receptis, die 13 Iulii anni 1870 ad iustitiae coronam sibi repositam assequendam evolavit.

* * *

Canonizatio Beatae Cloeliae Barbieri, virginis, peracta est a Summo Pontifice Ioanne Paulo II, die 9 augusti 1989, in Basilica Sancti Petri.

*Textus hic referimus Missae et Liturgiae Horarum in honorem novae Sanctae.**

13 iulii

A) MISSA

Antiphona ad introitum

Haec est virgo sapiens, et una de numero prudentum,
quae obviam Christo cum lampade accensa exiit.

Collecta

Deus, qui in sancta Cloelia virgine
evangelicae conversationis et caritatis erga minimos
singulare populo christiano exemplum praeuisti,
concede nobis famulis tuis
ut Filii tui mitis et humilis vestigia secuti
ad caelestia regna pervenire mereamur.
Per Dominum nostrum.

Super oblata

Respice, Domine, munera
quae in sanctae Cloeliae virginis memoria deferimus;
et praesta: ut Christi Filii sacrificii participes efficiamur,
cui beata Virgo Maria materno se corde sociavit.
Per Christum.

* Textus *latinus* Missae et Lectionis alterius Liturgiae Horarum Sanctae Cloeliae Barbieri, virginis, depromptus est e *Proprio Missarum* necnon *Liturgiae Horarum* Archidioecesis Bononiensis, a Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino probato seu confirmato, die 30 octobris 1975, Prot. CD 538/75.

Antiphona ad Communionem

Mt 25, 6

Ecce sponsus venit: exite obviam Christo Domino.

Post communionem

Hoc paschale convivium
nobis, Domine, vitae novae sit pignus,
ut illa caritate accendamus,
quae sanctam Cloeliam virginem
in similitudine Filii tui inflammavit.
Per Christum.

B) LITURGIA HORARUM

De Communi virginum.

AD OFFICIUM LECTIONIS

Lectio altera

Mysticum Sanctae Cloeliae colloquium cum Christo.
(Cf. L. Gherardi, *Il sole sugli argini*, Bologna 1970), pp. 160-163).

Caritatis igne ut ardeam effice

Singularem vitae et sanctitatis speciem, quam beata virgo Cloelia praestiterat, priores eius sorores tamquam hereditatem fideliter tradiderunt; illa autem nihil scriptum reliquit, praeter unum atque id breve colloquium cum Christo, quod incerta et imperita manu ipsa exaraverat, ut insigne Dei beneficium revocaret. Invenitur quidem in eo quasi quaedam theologica sapientia, ex divini amoris fonte hausta.

« Iesu, dilectissime sponse, haec scribere volo, ne unquam a mente excidant. Magna sunt beneficia quae Deus die 31 Ianuarii 1869 mihi largitus est. Nam cum in ecclesia sacris interesssem, divinus quidam instinctus me compulit, ut meam voluntatem in omnibus rebus coërcerem, quo magis magisque Deo placerem. Volo equidem id facere, sed vires desunt. Maxime Deus, conspicias me nihil aliud optare nisi ut te diligam et ab omni culpa abstineam, sed tam misera sum et infirma, ut te offendere non desistam. Domine, cor tuum aperi et inde amoris flammam effunde, quibus cor meum incendas: fac, quaeso, ut amoris igne ardeam ».

« Filiola mea, mente nequis comprehendere quanto ardore te diligam, quantaque me teneat spes te sanctam fore. Ergo in praeliis adesto

animo; fortem te praebe: omnia feliciter succedent; ac si quid erit molestum, mihi confide: pacem tibi comparabo. Deum omnes amate ».

« Ne oblitus sis mei, Domine, quae sum misera et peccatrix. En adsum famula tua, Cloelia Barbieri ».

Hae duae paginulae, quae in Budriensi sacrarum virginum domo velut trophaeum religiose servantur, novies inflexae conspiciuntur, ut in Beatae pectore usque ad supremum vitae diem esse videantur.

Responsorium

- ℞. O quam pulchra es, virgo Christi, * Quae coronam Domini digna fuisti accipere, coronam perpetuae virginitatis.
 γ. Non poteris a virginitatis palma seduci, nec ab amore Filii Dei separari. * Quae coronam.

BEATA ANIMA MAGNIFICAT DOMINUM

Beata inquit *quae credidisti*. Sed et vos beati, qui audistis et credidistis; quaecumque enim crediderit anima et concipit et generat Dei verbum et opera eius agnoscit. Sit in singulis Mariae anima, ut magnificet Dominum, sit in singulis spiritus Mariae, ut exsultet in Deo, si secundum carnem una mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus; omnis enim anima accipit Dei verbum, si tamen immaculata et immunis a vitiis intemerato castimoniam pudore custodiat. Quaecumque igitur talis esse potuerit anima magnificat Dominum, sicut anima Mariae magnificavit Dominum et exsultavit spiritus eius in Deo salutari. ~ Magnificat autem anima Mariae Dominum, et exsultat spiritus eius in Deo, eo quod et anima et spiritu Patri Filioque devota unum Deum, ex quo omnia, et unum Dominum, per quem omnia, pio veneretur adfectu.

SEMANA NACIONAL DE LITURGIA 1989 ORGANIZADA POR LA COMISIÓN EPISCOPAL DE LITURGIA DEL PERÚ

En un clima de estudio, oración y fraternidad, se llevó recientemente a cabo en Lima, la « Semana Nacional de Liturgia 1989 », que bajo el tema « El Ordinario Unificado de la Misa », organizó la Comisión Episcopal de Liturgia del Perú, que preside mons. Alberto Brazzini Díaz-Ufano, obispo auxiliar de Lima y presidente del departamento de Liturgia del CELAM. Secretario ejecutivo de dicha Comisión es el sacerdote José Antonio Eguren Anselmi.

Cerca de 600 participantes, entre sacerdotes, religiosas, seminaristas y laicos, ahondaron durante 4 días en el conocimiento del Nuevo Texto Unico del Ordinario de la Misa y de las Plegarias Eucarísticas para todos los países de lengua castellana, que fuera elaborado en febrero de 1986 por los presidentes y secretarios de las comisiones nacionales de liturgia de lengua española, reunidos en Roma por la Congregación para el Culto Divino y la Disciplina de los Sacramentos.

La « Semana Nacional de Liturgia 1989 » tuvo como ponente al pbro. Pedro Farnés Scherer, perito de la Congregación para el Culto Divino y Profesor de Sagrada Liturgia de la Facultad de Teología de Barcelona; y al pbro. Juan Bellavista, director del Instituto de Pastoral Litúrgica de Barcelona-España.

El pbro. Farnés desarrolló las conferencias: « Significado de la Nueva Edición Castellana del Ordinario de la Misa »; « Las Aportaciones del Nuevo Ordinario de la Misa en vistas a una mejor celebración de la Liturgia de la Palabra »; y « Historia, contenido y uso de las Nuevas Plegarias Eucarísticas ».

Por su parte el pbro. Juan Bellavista trató los temas: « La estructura de la celebración cristiana a la luz del Nuevo Ordinario de la Misa »; « Las líneas de fuerza de la Plegaria Eucarística y de sus gestos sacramentales »; y « El significado del Prefacio: riqueza eucológica y litúrgica de los nuevos textos ».

Inauguró la Semana de Liturgia 1989 mons. Augusto Vargas Alzamora S.J., obispo-secretario general de la Conferencia Episcopal Peruana y clausuró dicho evento el Nuncio Apostólico en Perú, arzobispo Luigi Dossena quien fue portador de un telegrama de aliento del Santo Padre.

De esta forma la Iglesia en Perú se ha comenzado a preparar para asumir a fin de este año el « Ordinario Unificado de la Misa » y así disponerse a que la próxima celebración del V Centenario de la Evangelización de América Latina encuentre a todos los países de lengua castellana más unidos en el altar del Señor Jesús.

ENCUENTRO DE ESTUDIOS DE LA SOCIEDAD ARGENTINA DE LITURGIA

Entre el 20 y 24 de Febrero de 1989, tuvo lugar en la Ciudad de La Plata (Argentina), el « Encuentro '89 » de estudios de la S.A.L.

El tema de este año fue el « Ritual de Iniciación cristiana de adultos ».

El Lunes 20, se abrieron las jornadas con la conferencia: « La liturgia renovada en la vida de la Iglesia y sentido de la Sociedad Argentina de Liturgia », a cargo de Héctor Muñoz, o.p.

El Martes 21, en la primera ponencia mayor, se dio la « Visión general del Ritual de Iniciación cristiana », por Héctor Muñoz, o.p. A continuación, el Pbro. Juan M. Arana expuso sobre las adaptaciones que pueden hacer del mismo las Conferencias episcopales, los Obispos y el celebrante.

Por la tarde, « El tiempo del catecumenado » fue tratado por el Pbro. Roberto Russo, del Uruguay. Como punto particular dentro del tema mayor, se nos brindó el « Simbolismo de las signaciones y un análisis de las oraciones I y II » de ese tema, a cargo del Pbro. Cristián Gramlich.

El Miércoles 22, « El tiempo de la Iluminación » fue tratado por un viejo alumno de San Anselmo, el R. P. Anselmo Gáspari s.d.b. como ponencia mayor, complementándose el tema con un « Análisis de los exorcismos correspondientes al primer escrutinio », a cargo del Pbro. Alejandro Russo, de la Arquidiócesis de Buenos Aires.

Por la tarde, « El tiempo de la Iniciación » fue expuesto por el Pbro. Alberto Casas Riguera, Profesor de Liturgia del Seminario de Paraná, complementándolo en un punto particular el Pbro. Miguel D'Annibale con el « Análisis espiritual de las aclamaciones, himnos y tropos, y su valor catequético en el Ritual ».

El Jueves 23 tuvo en la mañana otra dinámica, con tres temas más breves: « La Iniciación cristiana en el arte », por el Arquitecto Rodolfo Bérbery, de Buenos Aires, experimentado en la restauración y construcción de más de cien iglesias y capillas. « La Iniciación cristiana en la música », por el R. P. José Bevilacqua, autor de numerosas composiciones para uso litúrgico, uno de los responsables del grupo « Pueblo de Dios », sobre música litúrgica y religiosa. La « Iniciación cristiana en el Derecha » fue tratada por el Pbro. Oscar Duarte.

Finalizaron las sesiones con « La Iniciación cristiana en la pastoral », por el Pbro. Juan Trucco.

Por las noches se tocaron, informalmente, temas de interés para la asamblea: « El Movimiento litúrgico en la Argentina », por uno de sus pioneros y protagonistas, Mons. Juan C. Ruta; « Los nuevos formularios de misas marianas » por el Pbro. Raúl Laurencena; « La nueva versión del Ordinario en castellano », por Mons. Carlos Galán, Presidente de la Comisión de Culto del Episcopado argentino y « Experiencias de ne-catecumenado », por el R. P. Raúl Acosta s.d.b. de Buenos Aires.

El Viernes 24 tuvo lugar la asamblea y elección de nuevas autoridades: *Presidente*: Héctor Muñoz o.p.; *Vicepresidente*: Pbro. Alberto Gravier; *Vocales*: R. P. Armando Conti s.d.b., Pbro. Raúl Laurencena (Tesorero), Pbro. Alberto Casas Riguera (Secretario), Pbro. Tulio Gamelli y Pbro. Cristián Gramlich. *Vocal suplente*: Pbro. José L. Duhourq.

HÉCTOR MUÑOZ

RIMEDIO ALLA DECADENZA RELIGIOSA DEL NOSTRO TEMPO

« Crediamo sia di somma importanza dare la massima cura alla preghiera ufficiale della Chiesa. È il nostro ufficio sacerdotale che lo impone. È la necessità delle anime che lo reclama. È la preminenza assoluta di questa preghiera che lo esige. È l'efficacia pastorale di questo culto che lo richiede. È l'autorità della Chiesa romana che lo insegna. È la nostra stessa esperienza che lo prova. Rimedio alla decadenza religiosa del nostro tempo, metodo indispensabile perché le correnti della grazia e della verità scorrano con abbondanza e con felice accoglienza nelle vene esauste della vita spirituale della nostra generazione, bonifica dignitosa di tante forme religiose inopportune e deprimenti, la sacra liturgia ha il tesoro dei nostri misteri, ha il segreto delle nostre forze; se vogliamo che il nostro popolo non perda la fede e la pratica religiosa e se vogliamo dare alla nostra religione una manifestazione di pienezza, di bellezza, di autenticità, dobbiamo massimamente curare questo punto: che il culto sia quello vero, autentico, splendido della liturgia, che il popolo sia messo in grado di seguirlo con qualche personale partecipazione; che i fedeli più fervorosi conoscano il linguaggio dei riti e si uniscano alla vita di Cristo associandosi a quella della Chiesa; che la plebe devota delle nostre chiese sia educata al canto collettivo; che i nostri fanciulli siano sempre più chiamati a decorare con la loro vivace e pia innocenza i nostri altari; che i nostri sermoni, che i nostri stessi pensieri spirituali si nutrano alle fonti della nostra tradizione religiosa. Educazione liturgica, questo è il primo punto ... ».

(Card. G. B. Montini, *Al « Sinodo minore » del 1959, Arcidiocesi di Milano*).

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTA DEL VATICANO

c/c post. 00774000

GRADUALE SIMPLEX
IN USUM MINORUM ECCLESiarUM

EDITIO TYPICA ALTERA

Reimpressio 1988

In-8°, brossura, pp. 516

L. 30.000 + L. 7.000 contributo spese spedizione



MISSALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI OECUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

ORDO CANTUS MISSÆ

EDITIO TYPICA ALTERA

1988

Nova editio typica Ordinis Cantus Missae indicationes continet quoad cantus, quae in priore editione non inveniiebantur: pro aspersione aquae benedictae in Missa dominicae, pro oratione fidelium, pro Missa votiva de Ecclesia.

Adduntur etiam indicationes cantuum pro duabus celebrationibus, quae Calendario Romano generali post annum 1969 sunt inscriptae: celebrationes scilicet S. Maximiliani Mariae Kolbe, die 14 augusti, et Ss. Martyrum Coreae, die 20 septembris.

Indicantur insuper fontes cantuum antiquorum, qui anno 1969 sunt denuo introducti quique in antiquo Graduali Romano non reperiebantur.

In-8°, brossura, pp. 244

L. 20.000 + L. 7.000 contributo spese spedizione

COLLECTIO MISSARUM DE BEATA MARIA VIRGINE

EDITIO TYPICA

Con il decreto *Christi mysterium celebrans* del 15 agosto 1986, la Congregazione per il Culto Divino ha promulgato una raccolta di messe della beata Vergine Maria.

● La *Collectio* è particolarmente ampia: consta infatti di quarantasei formulari di messe, ognuno dei quali è completo e dotato di prefazio proprio.

● Ogni formulario è preceduto da una introduzione di indole storica, liturgica e pastorale che ne illustra il contenuto biblico ed eucologico ed offre utili spunti per l'omelia.

● La *Collectio* è destinata in primo luogo ai santuari mariani; poi alle comunità ecclesiali che desiderano celebrare con varietà di formulari la memoria di santa Maria « in sabbato ».

● Pur costituendo una ricca proposta culturale, la *Collectio* non apporta alcuna modifica né al Calendario Romano, né al Messale Romano, né al Lezionario della Messa, né al vigente ordinamento delle rubriche.

● I quarantasei formulari sono distribuiti nei vari tempi dell'Anno liturgico in modo che la memoria della Madre del Signore sia inserita organicamente nella celebrazione del mistero di Cristo.

● Per il suo carattere antologico, la molteplicità delle fonti, il ricupero di testi antichi, l'attenzione ai progressi della mariologia e la fedeltà ai principi del rinnovamento liturgico, la *Collectio* costituisce una qualificata testimonianza della venerazione della Chiesa verso la beata Vergine.

La *Collectio* consta di due volumi:

- I. *Collectio missarum de beata Maria Virgine*, di pp. xxviii + 238, contenente le Premesse generali, i quarantasei formulari e un'Appendice con alcune formule per la benedizione solenne.
- II. *Lectionarium pro missis de beata Maria Virgine* di pp. xvi + 232, contenente le Premesse per l'uso del Lezionario, le letture bibliche per ciascuna messa e un'Appendice con testi alternativi.

I due volumi, artisticamente illustrati, rilegati in tela rossa, formato cm. 24×17, indivisibili, sono disponibili presso la Libreria Editrice Vaticana al prezzo di Lit. 70.000.